





1733, 5^a

DE
SPVRIIS ADVOCATORVM
PRIVILEGIIS

EX SVFFRAGIO
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
DISPV TABVNT

GOTTLOB AVGVST. IENICHEN

PHIL. ET IVRIVM DOCTOR

ET

CHRISTIANVS GOTTLIEB GABRIEL

LEVCOPETRENSIS.

CONFLICTVI DICTVS EST DIES XX. MART. A. R. S. MDCCXXXIII.

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



21

DE
SPURIS ADVOCATORVM

PRIVILEGIIS

EX SVPERIORIBVS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

DISCVT. PRINCEPS

GOTTLIB AVGVST. IENICHEN

PRINCEPS IENENSIS DOCTOR

ET

CHRISTIANVS GOTTLIB GABRIEL

RECTOR IENENSIS

COPIA HUIUS LIBRI IN BIBLIOTHECA MUSEI HIST. NAT. A. S. MUSEI IENENSIS

ALII

IN OFFICINA LANGENHEIMIANA



PERILLVSTRI. AC. EXCELLEN
TISSIMO. DOMINO

GOTTLOB. HIERONYMO
DE. LEIPZIGER
DYNASTAE. IN. HEIDA

SERENISSIMO. AC. POTENTISSIMO. PRIN
CIP. POLONIAE. ET. LITHVANIAE. ATQVE. SAXONIAE
NOVEMVIRO. A. CONSILIIS. SANCTIORIBVS. SACRI CV
BICVLLI. PRINCIPALIS. COMITI. ORDINIS. QVE. DA
NEBROGICI. EQVITI. RELIQVA

EX

VETERI. FORMATA.
DATE. DROAT. DEDICATA

HAMILITMVS. CUIENS

GOTTLOB. AVGVSTVS. HENRICVS



PRINCIPIS. DELICIO
SAXONIAE. ORNAMENTO
LITERARVM. PRAESIDIO
FVTVRAE. AETATIS. MIRACVLO
QVEM
MIRIFICA. IN. DEVM. PIETAS
INCORRVPTA. IN. PRINCIPEM. FIDES
INCREDIBILIS. IN. CIVES. CLEMENTIA
SINGVLARIS. IN. LITERAS. AMOR
DVDVM. IMMORTALEM. REDDIDERVNT
HVNC. LIBELLVM. ACADEMICVM
RELIGIOSAE. PIETATIS
DEVOTI. CVLTVS
DEMISSI. OBSEQVII
TESTEM. OBSIDEM. QVE
EX
VETERI. FORMVLA
DAT. DICAT. DEDICAT
HVMILLIMVS. CLIENS
GOTTLOB. AVGVSTVS. IENICHEN



Q. D. B. V.

§. I.

*Desperatio plerosque Aduocatos hodie
facit.*



Uae tam numerosam militum pa-
trumque cucullatorum cater-
uam reddit desperatio, eadem
quotannis tam laetam iucundam-
que Aduocatorum segetem pro-
ducit. (a) Neque nostris de-
mum temporibus de nimia, qua
laboramus, causidicorum multi-
tudine, et improbis eorum, quo
clientes ad incitas redigunt,
artibus acerbae exortae querelae sunt; sed Graeci, (b) Ro-
mani,

- (a) David Meuius in Comment. in ius Lubecense P. V. T. II.
Art. V. §. 4. p. 871. Caspar Zieglerus de arte rabulistica C. III.
§. 13. p. 30.
(b) Plutarchus de foenore: forum ἀσεβῶν χωρῶν vocat et Plato
L. X. de Republica eiciendos ex beatissima sua republica Aduo-
catos esse statuit.

mani, (c) ipsique nostri maiores, integerrimi ac sapientissimi mortales, (d) detestati sunt illam nationem, cuius uota fere eadem, ac orci sunt. Quapropter illorum hominum mores ualde improbo, qui iusto plus fauent Aduocatis, eos laudibus vsque ad inuidiam onerant, praecipuas in republica dignitates illis destinant, ipsisque magistratibus, qui meritas ob proteruam inconsultamque linguam poenas ab iis exigunt, uehementer irascuntur. Quamuis etenim id aegre ferat AVGVSTINVS LEYSERVS, et de honoratori loco ipsis prospiciendo anxie laboret, attamen non possumus assensum hac in re praebere ICto, non solum exquisita doctrina, uerum etiam mirifica humanitate illustri. Immo non serio haec scripsisse LEYSERVM prorsus confidimus, quippe qui optume plerorumque litium patronorum originem perspectam exploratamque habet. Quis enim quaeso illis homuncionibus, quos paullo ante calceamentorum uestiumque exuuiis, et aliarum immunditiarum purgamentis, tectos, sordidos squalidosque, quos pedisequos quos libidinum domini dominaeque seruos conspexeras, et quorum manus mensque ad pennam occaluerat, mox OVIDIANA plane metamorphosi in Aduocatorum album relatis, locum dignitatemque concedat? Mira haec sunt, et fidem propemodum excedunt, sed tam terribilia pro Deum! monstra, ad
 quae

(c) Columella in praef. L. I. de re rustica: Sine cauidicis, inquit olim satis felices fuisse, futurasque vrbes, et Plin. Iunior. L. II. Ep. 3. §. 5. ipse fatetur: Nos, qui in foro uerisque litibus terimur, multum malitiae, quamuis nolimus, addiscimus.

(d) Quo odio cauidicos prosequuti sint pii maiores, referet Iorus L. IV. c. 12. et quam inuisi illi sint Danis, Hungaris, Heluetis Suecisque, conductis probatae fidei auctoribus, probauit Conf. Io. Georg. Cramerus in Disqu. An Aduocati in republica tolerandi sint? p. 8. seqq.

(e) in diff. de conuitiis Aduocatorum. p. 4.

quae tamquam ad nocturnos lemures, portentaque Theſſala
 cohorteſceres, forum quotidie inuadunt. Verum ſunt et alii,
 qui eadem mentis impuritate, caſta puraque Themidos ſacra
 temerant, atque inquinant. Nonnulli enim, quum academicos
 annos digladiationibus, comeſſationibus, comotationibus,
 Venereis que ſpurcitiebus male tranſegerunt, paterna auitaque
 bona turpiter diſſiparunt, et plus uini cereuiſiaeque, quam
 olei conſumerunt, ſumma et extrema deſperatione ducti, ad
 cauſas in foro orandas accedunt, et, vt ad quaerſtum omnia,
 ad conſcientiam pauca referunt, fures, latrones, meretrices,
 lenones lenasque, ueterum Romanorum more, in clientelam
 recipiunt, argentariam menſam ponunt, ipſosque infames
 foeneratores malitia uerſutiaeque ſuperant. Quid? quod
 nulla tam ſordida, tam foeda, tam illiberalis ars eſt, quae
 ad rem faciendam ipſis accommodata uidetur, cui non ope-
 ram dent, et omnes ſuas curas, cogitationes, ſtudium deni-
 que omne in eo figunt collocantque, vt clientes pecunia
 opibusque probe emungant. (f) Felices illi ſunt, quos
 nulla dira habendi cupido, laudabili IULII AVSONII

A 3

(g) exem-

(f) Ne in me horum dictorum inuidia redundet, cauſae meae
 patronum excito Caſparem Zieglerum, qui loco citato ita ſcri-
 bit. Id uero dolendum maxime eſt, pleroſque omnes, quibus
 ad reſtium rediit res, et qui de ſua fortuna deſperant plane, aduo-
 cati partes tandem ſuſcipere, quumque nulli alii uitae generi
 idoneos ſe ſentiunt, et omnibus armis praefidiisque deſtituti iam
 ſunt, nihilominus ſperant ſibi auram aliquam poſſe afflare, in ad-
 uocati munus ſi inuolent, ac ſi ſacra haec eſſet ancora, et ita com-
 munitis omnibus, vt ad eam liceret conſugere obrutis rebus omni-
 bus ac perditis proſtigatiſſimo cuique. Refert idem Zieglerus in
 Conſiſtorio aliquando egiſſe ſtupratam, de matrimonio ſibi pro-
 miſſo, quae inter alia probationum argumenta retuliſſet, ſtuprato-
 rem ab ipſa quaerſtum, quo uitae genere uictui comparando
 conſultum eſſe uellet, reſpondiſſe; Er wolte ein Klein Kauſen-
 machergen werden, qui tamen nunquam uel uiderat fortaſſe, uel
 in manibus habuerat iuris conſtituti codicem.

(g) exemplo, ad lites excitat, qui suum cuique tribuunt, et ab alienis opibus mentem castam, manusque puras seruant. Illi enim numquam in illos alienarum fortunarum mercatores, aut potius mangones, in Harpyias istas crumenimulgas, quae nec sanguine quidem miserorum exsaturari possunt, (h) incident, tristemque et animae et fortunarum euitabunt iacturam. Sunt, (fatendum est, quod negari nequit,) inter Aduocatos probi doctique uiri, qui detestandas horum perniciosissimorum hominum artes aperte damnant, (i) munus suum egregie explent, nec umquam uel fidem, uel diligentiam, uel integritatem in se desiderare patiuntur. Hos, quamuis summa animi ueneratione prosequamur, attamen non possumus non, quin iis, simul ac illis, quos uiuis depinximus coloribus, quaedam, quae inuita Themide, et ex infano Iuris Romani amore, ipsis tribuerunt interpretes, priuilegia, libere candideque denegemus. Quod uti consulto facimus, quum nemo quisquam ante nos hanc materiam ex instituto pertractandam sibi sumserit; ita non expectes uelim, Lector, ut uulgaribus illis naeniis, Aduocati et priuile-

(g) dedimus huius uiri, aureis plane moribus praediti, uitam in specimine Bibliothecae eruditorum longaeuorum A. 1730. typis exscripto p. 138.

(h) Sunt magui Scaligeri haec uerba L. III. Poet. c. 25.

(i) Fecit id Mornacius, ipse causarum patronus, in obseru. ad Digesta T. I. p. 735. qui refert Pibracium celebrem apud Gallos Fisci patronum aliquando perstrinxisse quorundam suae aetatis patronorum *πλεισθητων*, qui, quum de lite mouenda consulere-
rentur, nihil non promittebant facillimum, nec tam magno id constitutum pretio. Istis nimirum illicis, aiebat, capiuntur atuide, qui iam sese apparant ad lites quae tamen, ubi Marte suo et solito iudiciorum ordine per aliquot menses cucurrerint, longissimae tunc controuersiarum ambages, concatenata tamquam serie, sese offerunt, tandemque inopinum semper quidpiam exsurgit, unde sagacitas fere uix vlla confectum annis litigatore, aridumque et exsuccum expediat.

uilegii definitionibus et diuisionibus immoremur. Dederunt easdem alii, et ipsi iuris tyrones, uix in ordines allekti, uix signa uenerati, norunt easdem. Nos potius, precati Deum immortalem, laeti speique pleniuam aggredimur.

§. II.

Falso Aduocati diuinam originem sibi adscribunt.

Nullum profecto impudentius est, quod Aduocati sibi arrogant, priuilegium, quam quo ipsum Seruatorem Spiritumque Sanctum in collegium suum cooptant, et primordia sua ad ipsam diuinitatem referunt. Pestilens hic furor et insana haec dementia plerosque inuasit ueterum, qui non melius iustam bonorum indignationem se euitaturos fore sperabant, quam si diuinas personas in suam adsciscerent societatem. Veniam facilem, qua nos sumus liberalitate misericordiaeque, pararemus CACCIALVPPO, (k) et MARTAE (l) et barbaris illorum focis, qui uecordia abrepti ultima, tam scelestas cogitationes luci publicae committere non erubuerunt. Ipsa enim saeculi, in quod eorum incidebat aetas, barbaries, ipsae illae plusquam cimmeriae tenebrae, quibus meliores literae inuolutae erant, aliquam iis excusationem praebent. Sed quis ignosceret Leonhardo Bauero, ICTO UUienensi? qui illiberales has facetias prolixè copioseque propugnat. Nam quamuis nonnulli diuinas personas id, quod susceperant, patrocinium non ἀνθεωτικῶς, ἢ θεολογικῶς, sed θεϊκῶς ἢ θεοπροφητικῶς, pro maiestate summa et inef-

(k) de offic. Aduoc. qu. i. n. 4. qui et aduocationem opus meritum apud Deum esse, scribit.

(l) de iurisd. P. IV. c. 115. citante vtrumque Hilligero ad Donellum L. XVIII. C. III. p. 73.

(m) defendit hanc sententiam in Diff. de Nobilit. ICTorum. p. 8.

fabili peragere statuant; attamen tantum abest, vt haec vlla ratione defendi queant, vt potius augustae illi diuinarum personarum maieitati aperte repugnent. Neque meliorem fortunam sibi a nobis polliceri debet Gallus ille, qui A. MDCCCXIII Parisiis libellum edidit, quem l'eloge et les devoirs de la Profession d' Aduocat inscripsit, qui hanc temerariam opinionem summa ac paene inaudita impudentia defendit, dignus, qui nequitiae suae poenas daret AVGVSTINO LEYSERO. (m) Pudenda haec sunt, et indignae christiano homine facetiae. Adeo enim excelsum est, in quo collocatae sunt caelestes personae, fastigium, adeo illustris excellensque, qua miseros, et infelici illa primorum parentum labe depressos mortales in sui admirationem conuertunt, clementia, adeo omnia summae perfectionis diuinitatisque notae ipsis impressae sunt, quae ab humana imbecillitate tantum, quantum pii ab impiis differunt, vt haec non sine nefarii sacrilegii crimine uel dici, uel cogitari queant. Fatemur equidem, optimum atque sanctissimum orbis terrarum Seruatorem id cruenta morte sua effecisse apud Deum peccatis nostris iratum, vt delictorum nobis gratiam faceret, et omnem a nobis uindictam iramque amoueret; Spiritumque sanctum nostram coram summo Dei tribunali causam agere quotidie, et caelestem nobis ueniam, pacem atque clementiam impetrare. Sed quis, nisi mente captus et extreme stultus, inde concluderet: Ergo Aduocati sunt. Ergo Aduocationem instituerunt. Quod si enim hi, qui tanto animorum impetu id agunt, perpenderent, quam inuisi essent Numini illi, qui in longum extrahunt processus, eodemque immortales reddunt, facile discessissent a sententia, quae et impium eorum animum clare prodit, et cordatiorum indignationem odiumque ipsis conciliat. Certe, si quae unquam

(n) Med. ad Pandectas T. I. p. 492. et 93.

quam respublica praestantissimis legibus instituta confirmataque fuit, profecto hanc felicitatem Ebraeorum respublica iure meritoque sibi vindicare potest; adeo, ut si quid uota nostra ualerent, optandum esset magnopere, ut non a Romanis Graecisque, sed inde legum optumarum atque sapientissimarum exemplum peteremus. Quis uero acerbas et atroces denegati iuris laesaeque iustitiae querelas audiuit? quis litium patronos umquam in illa deprehendit? Si accusatio instituenda esset, si crimen aliquod ultionem requiret, ad iudicem res deferretur, qui cognita explorataque rei ueritate, sine taediosis processuum ambagibus litem intra unicum diem, aut certe paucissimos, desinebat.

§. III.

Inique tribuitur causidicis generis nobilitas.

Transimus nunc ad alterum, quod Aduocatis falso tribuitur, priuilegium, generis nimirum, CARPZOVIO(o) auctore, aut, ut STRYCKIUS (p) effert, ueram nobilitatem. Absurdum hoc est profecto atque ridiculum priuilegium, quo sibi pulcre placent, qui in foro aduocatione perfunguntur. Audiamus LEYSERVM (q) ita differentem: *Honestum est Aduocati munus et nobile, id est, clarum et celebre, non diuinum nec illustre, nec cum equestri dignitate coniunctum.* Sequamur LIMNAEVM, (r) qui bene eleganterque scribit: *Ein Advocat ist edel, aber doch kein Edelmann.* Neque obstant sententiae nostrae, quae ad collabefactandam euertendam-

- (o) L. III. Resp. I. n. II.
 (p) in diss. de priuil. Aduoc. C. II. n. 2. obiter notamus, falli Leyserum, quando praeter Carpzouium neminem Aduocatis generis nobilitatem tribuisse contendit.
 (q) Med. ad ff. Vol. I. p. 494.
 (r) in iure publico L. VIII. c. 8. n. 104.

damque eandem penitus adfert STRYCKIVS. (s) Quod enim Imperatores VALENTINIANVS, VALENS et GRATIANVS (t) eos nobilissimos uocant, non equestris dignitatis participes reddit, quae ex singulari Imperatorum gratia dependet, et quam nemo nanciscitur, nisi principalibus codicillis in lectissimum hunc ordinem relatus sit, quod MASYRIO SABINO accidisse, (u) POMPONIVS perhibet. Solenne nimirum Romanis est, ut eos, qui uel praeclaris uel malis facinoribus nominis celebritatem consequuti fuerant, nobiles nobilissimosque, nancuparent. Sic philosophos, oratores, pictores, gladiatores, meretrices nobiles, appellabant, quod ante nos iam dudum obseruauit DIONYSIVS GOTHOFREDVS (x) et ANDREAS TIRAQVELLVS, (y) qui multis ueterum auctorum testimoniis asserti nostri ueritatem comprobata dedit. Uerum ICTos Imperatores amicos et parentes salutant, et eo ipso nobiles pronunciant. (z) Heic tenendum est cum maxime, insigniter differre causarum patronum et ICTum. Quum enim pleraque ex praescriptis formulis et obseruantis in foro peraguntur, poterit Aduocatus, qui accuratam earundem notitiam sibi comparauit, et iura domestica sibi leuiter cognita tradidit; magnam sibi conciliare celebritatem, sed ideo non amplum atque honorificum ICTi nomen meretur. Si quis enim dicat, (liceat nobis ERASMI, (a) quibus Grammaticum describit, uerba, paucis mutatis, nostra facere,) ICTi professionem nihil habere memorabile, sciat, hoc graue et arduum esse negotium. Neque enim a ICTo tantum expectatur barbararum illarum obseruantiarum atque

(s) e. l. (t) l. 7. C. de postul. (u) l. 2. de orig. Iuris §. 47.

(x) in not. ad l. 7. C. de post.

(y) C. II. de uera nobil. Opp. T. I. p. 7. sqq.

(z) l. 17. de iure patron. l. 4. C. de contrah. et comm. stip. l. 4. C. de loc. et cond.

(a) in uita Origenis auctore Uossio de Phil. L. II, C. IV. §. 1. et 4.

atque formularum cognitio, sed praeter sermonis elegantiam, praeter antiquitatis et omnium historiarum notitiam, requiritur philosophiae, omniumque liberalium artium, quid? quod Iuris Ebraei, Graeci, Romani, Pontificii, Germanici, beneficiarii, publici, et singularum provinciarum cognitio. Minore negotio bis mille Aduocatos absolueris, quam vnum ICtum, qualem in IO. SCHILTERO, IO. STRAVCHIO, IACOBEO GOTHOFREDO, praeterita aetas, et nostra in NICOLAO HIERONYMO GUNDLINGIO uidit. Hos nobilissimos pronunciamus, hos tam egregio honore dignos censuerunt Imperatores. (b) VLPIANVS enim et VOLVSIVS MAECIANVS, quorum alterutrum parentem, alterutrum amicum nominant, numquam in foro causas actitasse, sed de iure respondisse, et in Imperatorum fuisse consilio, ii, qui eorum memoriam ad posteritatem tradiderunt, testantur. Ueterem Romanorum conditionem redolent, quae, ideo nobiles esse causidicos dicuntur, quia post depositam aduocationem clarissimi Comitis (c) dignitate ornabantur. Intra certum enim Aduocatorum ordo numerum continebatur, illique qui stipendia rite fecerant, clarissimi Comitis dignitatem nanciscebantur, (d) id quod plane absonum est in Germaniae foris. Neque ad rem faciunt, quae de uera illa nobilitate, quae doctrina uirtuteque paratur, differuntur. Eam Aduocatis, qui doctrina atque uirtute praediti sunt, non denegamus, sed illam saltem, quae ex equestri dignitate pro-

B 2 ueni-

(b) Fauet sententiae nostrae Valentinus Chimentellius in marmore Pisano de honore Bisellii C. XXII. in Thef. Graen. T. VII. p. 2103. atque satis egregie eicit, non causidicos sed ICtos, et in consilium allectos, amicorum nomine cohonestasse Imperatores.

(c) l. 8. C. de Adu. diuers. iud.

(d) uide quae ex antiquitatibus legibusque docte atque eleganter adfert Frid. Brummerus Comment. ad Legem Cinciam C. X. §. 14. lqq.

uenire solet. Et quid demum proderunt litium patronis imagines, et antecessores, GERMANICVS, CALIGVLA, VESPASIANVS, PLINIVS SENIOR, PAVLVS et BALDVVS? nisi se dignos his praecclaris uiris exhibuerint. Illi enim non magis nobiles reddunt Aduocatos, quam nobiles futuros reddit ALFENVS VARVS, praecipuae ICTus dignationis, qui futoriae arti per aliquam temporis partem operam dedit. (e)

§. IIII

Non gaudent priuilegijs militaribus causarum patroni.

Nugas agunt, qui ex illa militum Aduocatorumque, quam LEO et ANTHEMIVS (f) instituunt, comparatione, causarum patronis priuilegia militum tribuunt. (g) Neque enim vmquam haec in mentem uenisse Imperatoribus vlla ueri specie probari potest. Figurata oratione in vniuersa hac lege vtuntur. Atque singularis in legibus nostris loquendi ratio est, vt militiam ad alias res transferre soleant earumdem conditores. Sic *militiam palatinam* ponunt pro omnibus, qui in *palatio sunt*, (h) *litteratam* pro *proximis sacro-*

(e) Sic Iudit Horatius L. I. Serm. Sat. 3. u. 130. Alphemus uaser omni

Abiceto instrumento artis, clausaque taberna
Sutor erat; sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex, sic rex solus.

Cremonae enim sutrinam exercuit artem, teste uetere Horatii commentatore; quod minime indignum ingenio homine opificium Romae fuisse ex l. 5. §. 3. ad L. Aquil. euincit Io. Bertrandus in Uir. Ict. C. VI. §. 2.

(f) l. Aduocati 14. C. de Adu. diuers. iudic.

(g) Stryckius c. l. §. 3. Io. Georg. Nicolai in Resolut. casuum dubiorum Pract. Ref. 18. p. 374. et illi, quos hi citant.

(h) l. I. C. Th. de Palat. et Cod. Theod. l. VI. T. XXX. et XXXV. et l. XII. Tit. XXIX. Cod. Iust. Audiamus Ez. Spanhemium

sacrorum seriniorum. (i) Sic in *literarum praesidiis militare* scribit IULIANVS Imperator. (k) Sic *militia negotiatorum* fuit; (l) sub qua intelligebantur commoda illa annonarum, et salaria, quae armatam uel inermem militiam exercentibus publice praestabantur. Huiusmodi militiae in commercio fuerunt, et uendi, emi, et legari aliasque relinqui potuerunt. (m) Quae clara explorataque sunt iis,

B 3

qui

in orbe Romano C. XXI. ed. Heinecc. p. 349. qui sub palatina illa militia officiales, Apparitores, iisque digniores Domesticos et Protectores intelligit. Et Iac. Cuiacius in Recit. C. ad Tit. de Collat. in fin. inquit: Nomine militiae significatur officium palatinum, quod quis exercet in palatio, ueluti officium adiutoris, quaestoris: et hae militiae poterant uendi, distrahi et transmitti ad haeredes. Immo et pignorari secundum l. vlt. C. de pignor. et hypoth. Confer et Edmundum Merillium in Variantium ex Cuiacio L. II. C. II. ed. Neapolitanae d. a. 1720. p. 278. Franciscum Balduinum in Iustiniano L. II. p. 79. ed. Hallensis d. a. 1730.

(i) l. 8. C. de proxim. Sacror. Serinior. u. et l. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 12. eod. Decem Serinia Comes sacrarum largitionum in officio habebat, quorum Serinia militia literata uocabantur: Nihil uero aliud erant Serinia, quam plutei, in quibus libri condebantur, et Seriniarii sunt chartularii, chartasque tractantes. Guid. Panzirollus in Comment. ad Notitiam Dignitat. Imperii Orientis. C. LXXVI.

(k) l. i. Cod. Th. de prox. comit. dispos.

(l) l. vn. C. negotiatores ne militent.

(m) u. praeter alias leges l. 102. §. vlt. de leg. 3. et l. 27. C. de pign. Andr. Alciatum L. I. Praeterm. opp. T. II. p. 146. ed. Basf. d. a. 1558. Barnabam Brissonium de U. S. ed. Lipf. d. a. 1721. p. 632. qui et militiae fabricensium et militiae ex casu meminit. Obseruat et Amplissimus Bynckershoeckius, L. III. C. XIV. Obseru. Iuris Rom. manu militari, qua uoce utitur Vlpianus in l. 68. de Rei iud. et per officium militare, quae Alexandri Imperatoris, Vlpiano aequalis, uerba in l. 2. C. si man. ita uenier. ne prostit. sunt, intelligi apparitores et officiales iudicis. Aiunt autem tum Alexander, tum Vlpianus militari, uel quia illi, quum res fert, armis instructi sunt, uel quia apud

qui elegantiores literas ad iurisprudentiam afferunt, nec ad quoduis uerbum BARTOLI ACCVRSII que manes euocant. Sed ideo non nanciscebantur ea, quae militibus, qui in ueris bellis sanguinem uitamque pro patria profundere gloriosum esse ducebant, Iure Romano competeabant priuilegia. Gerrae hae sunt Siculae, et tam insanae naeniae, ac si quis concluderet: iureconfulti aequi bonique sacerdotes sunt, (n) ergo iisdem, quibus sacrorum antistites uenerandi, priuilegiis immunitatibusque utuntur. Verum parum abest, quin mutem sententiam, certe ea, quae aspere nimis scripta sunt, deleo, et pro non scriptis habere uolo: quum ANTONIVM SCHVLTINGIVM, ICTum eleganter et praeclare doctum, ab aduersariorum stare partibus, auctore GYNDLINGIO, (o) intelligam. Vtinam uotorum meorum damnatus essem! Vtinam licuisset pulcherrimum uenustissimumque scriptum inspicer! Sed irrita uota mea, uanaeque spes fuerunt. Quapropter alio tempore, quamprimum nactus fuero libellum elegantissimum, me uiri clarissimi argumentis responsurum fore, publica hac tabula, in me recipio.

§. V.

Quaestionibus subiici possunt inconsulto principe causidici.

Ex his duobus, quae nullius ponderis esse demonstrauimus, priuilegiis, nouum effinxerunt doctores, et Aduocatos, inconsulto principe, equaleo imponi posse, constanter nega-

Praetorem militant: alicui enim praesto esse, id quoque militare uocari.

(n) l. 1. §. 1. de Inst. et Iure.

(o) in *Memoris* ad Tit. de Postulando §. 16. p. 264. ubi Schultingium singularem de militia aduocatorum dissertationem scripsisse, et late causarum patronis militum priuilegia asseruisse, contendit.

negarunt. Quid? quod fuerunt, qui, etiam si a forensibus turbis abstinerent togati, nihilominus privilegio hoc uti posse illos, neque vlla id aboleri posse consuetudine confidenter statuunt. Atque si publicae utilitas rei efflagitet, ut veritas per quaestionem exquirenda sit a causarum patrono, eo adigendum esse, ut aduocationem solemni ritu deponat, pristinamque dignitatem exuat. (p) Sed ut silentio praetereamus, lubrico, quod a militibus et nobilibus (q) ad Advocatos ducitur, consequutionis filum niti fundamento; sciendum est plane aliam nostrae, quam Romanae militiae, esse faciem. Romani enim, insatiabili ambitione, vniuersis fere populis bellum indixerunt, et sic militia perpetua, et quidem non stipendiaria (r) primis temporibus, sed gratuita utebantur. (s) Ut necesse esset, ut singularia militibus indulgerent privilegia, quo in obsequio continerent eosdem, et ad praeclara magnaque facinora edenda impellerent tam honorificis luculentisque praemiis propositis. Germanorum uero militia mercenaria est, et milites dicuntur foldurii a mercede, Gallis, la folde; Ueteres quoque bellica quamuis laude, heroicisque facinoribus illustres, at tamen pacis et bellorum tempora distinxerunt, nec unquam in pace

(p) vide Stryckium c. l. §. 6. et 7. et quos longo ordine allegat in primis Tiraquellum Opp. T. IV. n. 8. p. 37.

(q) u. §. 3.

(r) Augustus demum mercenarium primus conscripsit militem, et ut gratiam Populi Romani eo constantius retineret, non ciuius modo, sed etiam Latinis et Italis necessitatem militiae remisit, quemadmodum ex Herodoti Historiar. L. II. c. ii. probat Illustris Io. Theophilus Heineccius, in Ant. Iur. Rom. Append. L. I. C. I. §. 57. ed. nou. p. 320. de ceteris, quibus populo carum atque acceptum se reddere studuit, artibus politicis Augustus, uide, si placet, quae diximus in Commentatione de efficaci mulierum testimonio in codicillis p. 9.

(s) Lipsius de milit. Roman. L. V. dial. 16.

ce habuerunt militem, sed in bello instar militum vñ fuerunt ciuibus, subditis, uasallis, vsque dum post funestum illud tricennale bellum, et ob perpetuum armorum metum, in pace quoque consulto militem alant principes. (c) Sane innumerae illae, quibus doctores hoc circumscribunt priuilegium, limitationes, nullum illud reddunt, et prorsus inane. (u) Prouocant denique interpretes ad Imperatorum VALENTIS, GRATIANI ET VALENTINIANI constitutionem, (x) qua edicunt. *Seueram indagacionem per tormenta quaerendi a clarissimo homine submouimus.* Verum enim uero quamuis clarissimos esse Iure Romano (y) Aduocatos vltro largiamur, attamen haec uerba mendo non carent. Non enim Imperatorum mens est, vt Aduocatis subueniant, sed vt senatoribus priuilegium concedant, et illos a tormentorum infamia cruciatibusque liberent. Iuuat coniecturam nostram Codex Theodosianus, (z) vbi pro clarissimo homine, legitur Senatorio nomine. Et certe non omisissent caufidicos uel DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS, (a) vel ARCADIVS ET HONORIVS, (b) in rescriptis suis, quibus certis personis immunitatem a quaestionibus impertiunt, si tanto honore dignos iudicassent litium patronos.

§. VI.

- (t) docte eleganterque id excussit, quem egregia in iurisprudentiam merita haud ita pridem ad consulatum Kiloniensem eue-
xerunt, Ernestus Ioachimus Uuestphal in *diff. de Iuris Rom.
indole et obligandi diuersa ratione ac dignitate in foris apud
Rom. et German.* C. I. §. 5. p. 38. et 39.
- (u) Carpz. *Prax. Criminal.* P. III. Qu. 118. n. 86. sqq.
- (x) l. 10. de dignitat.
- (y) l. 1. C. de Adu. diu. iud.
- (z) L. IX. T. XXXV. l. 93.
- (a) l. 8. et 11. C. de quaestionib.
- (b) l. 17. C. eod.

§. VI.

Denegatur Aduocatis competentiae beneficium.

Triste est flebileque illud competentiae beneficium, ad quod debitores diris calamitatibus pecunia exuti, et ad incitas redacti confugere solent. Uindicat hoc Aduocatis OSWALDVS HILLIGERVS, (c) et opinionem suam tamquam benignam et doctis uiris propugnandam commendat, ne alios sui ordinis homines, fortunae potius, quam illorum culpa bonis lapsos deserant, immanique foeneratorum rabiei exponant. Quae si etiam uera essent, nullique dubitationi obnoxia, non tamen possemus HILLIGERIANA E subscribere sententiae. Ut enim taceamus, Ictum sine lege loqui erubescere, putidasque illas, quae argumento legum fiunt, esse ratiocinationes, ius hoc plane singulare est, et exorbitans, et non ultra literam facile extendendum. Quid? quod creditores de damno uitando certant; quo itaque illud aliis magis nocet, eo magis coercendum est; ne rabulis laeta atque iucunda suppeditetur occasio, in cauponis, popinis fornicibusque hilarem consequi famam, et, post dispersita per libidinem et luxuriam bona, se hoc beneficio, tamquam secuto, tueri, et eludere creditores. Atque plane non procedere illam, quae a nobilibus ad causidicos sumitur, ratiocinationem, praeter ea, quae supra scripsimus, documento esse potest, quod nobiles et doctores priuilegiis Imperatoriis ornati sunt, quibus illi plane destituuntur. Et in hanc sen-

C

(c) in Donello enucl. L. XXVII. C. IX. p. 429. Stryckius c. 1. C. III. §. 19. Eduardus Franc. Goclenius in diss. de beneficio competentiae §. 14. p. 26.

(d) Bergerus in Supplementis ad Electa Discept. For. P. II. p. 654. Idem in Oec. Iuris p. 1199. Beyer. Pof. ad ff. p. 118

tentiam responderunt ICti Uitebergenses, Scabinorum Ienensium sequuti iudicium. (d)

§. VII.

Vt Cliens illam pecuniam, quam Aduocatis in casum uictoriae promisit, soluat, si per amicabilem transactionem lis finita sit, cogi nequit.

Errat LAUTERBACHIVS, (e) quando Aduocatis, id, quod promissum est, si uictoriam reportent ab aduersario, soluendum esse, lite transactione finita, statuit. Prouocat ad SCAEVOLAM, (f) qui hanc litem diremisit dicitur. Sed plane aliam quaestionem definit Scaenola, quam de qua nobis sermo est. Erat de haereditate controuersia inter haeredem scriptum, et MAEVIVM, et forores eius. MAEVIVS literis ad forores datis declarat, commune futurum, quicquid ad eum ex euentu litis haereditariae peruenisset. Verum quum transactione res composita, et ex illa praedia aliaeque res ad MAEVIVM deuolutae essent, quaestum est; an a sororibus possit conueniri. Et respondet SCAEVOLA. Possē. Insigniter enim differunt, alteri aliquid indefinite, et partem bonorum in quemcunque euentum promittere, quod in hac lege fecit MAEVIVS, aliud promittere in casum uictoriae. (g) Heic enim animum intendisse uide-

(e) in Tit. ff. de postul. qui erroris socium, ut fere semper, natus est, Carpouium Resp. I. L. III. n. 17. sed fallitur Lauterbachius, quando Iacobum Bouricium eandem sententiam defendere in libro de Aduocati munere et officio C. XLIV. p. m. 159. ed. Amstel. 1701. nimis confidenter scribit. Is enim saltem refert Guid. Papam huic insulse subscribere opinioni.

(f) l. ult. mandati uel contra.

(g) Christianus Thomafius in notis ad Digesta p. 73.

tur promittens ad innumeros et longos, qui per diuturnum temporis spatium fubeundi sunt Aduocato, labores, et vt animum spemque addat illi, vt omnia extrema audeat, quo ingenti rei familiaris commodo multaque laude ex lite uictor recedat. Taceo, semper damnum aliquod sentire, qui transigit, nec ideo tam amplam lautamque mercedem spondisse in hunc casum oratori, qui exiguo atque fere nullo labore sibi eandem parauerat. Certe fenestra aperiretur malitiae praeyaricationibusque caufidicorum, qui omnino studio eo nifuri essent, vt ad transactionem impellerent aduersarium eundemque in praedae pertraherent societatem.

§. VIII

Coniuitia interdicta Aduocatis sunt.

Est profecto iniurium, quod sibi sumunt caufidici, priuilegium, quod coniuitia impune coniciant in aduersarium, et manifestas illas iniurias salium facetiarumque nomine defendant. Nacti sunt nuper magnum caufae suae patronum, AVGVSTINVM LEYSERV, qui sales facetiasque illas illiberales admonitione saltem coercendas esse decernit. (h) Sed parum proderit iis Viri Illustris auctoritas, cui leges Romanae et patriae aperte repugnant. Et suo id Romae damno expertus est nobilis caufidicus EPICETVS, cui *obinconsultam temerariamque linguam* aduocatio interdicta fuit. (i) Licet ueritatem proferre, licet uerum crimen obicere aduersario, licet testes suspectos reddere, licet recusare iudicem, illumque delicti insimulare, si litium id poscit uilitas. (k) Sed temperent sibi caufidici a maledicentiae teme-

C 2

(h) in Diss. de coniuitiis Aduocatorum. p. 6.

(i) Epistol. L. IX. Ep. XXXI. ed. Francf. d. a. 1651. p. m. 344.

(k) Digna sunt Ziegleri in Arte Rabb. C. XXI. §. 3. p. m. 145. uerba, quae haec transcribantur: Admittit Iustinianus certo casu

temeritate iniuriisque, sciantque, eos, qui tam procaces fuerint, vt non rationibus, sed probriis certandum esse existimauerint, illaetabilem famae passuros fore iacturam. (l) Uerum non solum Romanae, sed inprimis Imperii (m) Saxoniaeque leges damnant hanc execrandam Aduocatorum conuitiandi libidinem, eamque seuerè puniunt. Non solum enim illas acerbas et atroces iniurias, uerum etiam illiberales asperasque facetias, illa falsa et satyrica dicitia, unnußge, hönlische, schmähseliche, (n) stacheliche, anzügliche Worte (o) interdictione fori, carcere, multa coercent. Quid? quod iudici, in illo, quo caufidicus iniurias eructauit, iudicio illum punire permittunt. (p) Et probe memini, quum causarum patronus, integrae fidei et praeclarae uir doctrinae et amicitia mihi iunctus, aduersario obiecisset, iudicii eum passum esse, eo, quo scripserat positiones suas, tempore, ecclipsin, a Senatu Academico in quinque numos unciales fuisse condemnatum.

§. IX.

conuitiandi licentiam si uidelicet quis obiiciat parti aduersae, quod testes falsos instruxerit, et alios corruerit, item quod calumniatus sit. Ita excipiens contra testes in iudicio, quod sint falsarii, improbi, criminosi, actione iniuriarum non tenetur, quemadmodum nec ille, qui iudicem suspectum esse dicit; Sed haec non tam conuitiandi, quam defendendi animo fiunt, quum qualitas facti praesumptionem iniuriandi excludat, et propterea ueram exceptionem non faciunt.

(l) l. 6. C. de post.

(m) Ord. Cam. P. I. T. 23. §. 2. u. et Conf. Henricum Brockesum in Diss. de Aduocato Iniuriante §. 12. qui ceteras Imperii leges recitat.

(n) u. Torg. Ausschreiben d. a. 1583. T. von Advocaten und Procuratoren.

(o) Ref. Grauum. d. a. 1653. et 1657. Tit. von Justitien-Sachen. §. 33. Ord. Process. Uetus T. III. Mandatum Io. Georg. II. d. a. 1662. in Cod. Augusteo T. I. p. m. 1142.

(p) Carpz. Proc. Iur. T. III. Art. II. n. 65. p. m. 91. Brunn. in Comm. ad Codicem p. m. 252.

§. IX.

*Cetera, quae Aduocatis tribuuntur, priuilegia
summatim recensentur.*

Tribuunt praeterea interpretes causidicis priuilegium quod carceri tradi, quod infelici arbore suspendi nequeant, quod testimonium iusiurandumque domi deponere, quod opifices strepiferam artem exercentes ex uicinia expellere queant, quod uehicularum ut possint in illo loco, quo sedem constituit princeps, quod ab omnibus uectigalibus et collectis immunes sint, quod, si in feudis inuestiantur, simplex laudemium soluant, quod diebus festis studiis operam dare possint, et quae sunt reliqua mira et ridicula priuilegia. Sed obsoleuit magna illa oratio, qua haec sibi causidici priuilegia uindictant, re magis, quam uerbis refutata; et nos factis habemus, praecipua et magis speciosa, quibus, tamquam clypeo quodam, sese muniuerunt Aduocati, priuilegia eiecisse exturbasseque ex Themidis sacrario. (q)

§. X.

Vera Aduocatorum enarrantur priuilegia.

Quae si accurate mecum perpendo, parum abest, quin in Leuuuii (r) concedam sententiam, et, nullis fere priuilegiis litium patronos hodie uti, confidenter decernam. Ne tamen omnia causidicis priuilegia demere uidear iniquis censoribus, liceat ea, quibus hodie fruuntur, per transennam indicare. Sic gaudent priuilegio fori. (s) Leges ipsis per-

C 3

(q) uide Stryckium in cit. Diff. C. II. et III.

(r) in Censura Forensi P. II. L. I. C. VII. §. 5.

(s) l. ult. C. ubi Sen. uel Glarisf.

mittunt laborum accipere praemium, (t) et tanta, quoad illud, in Saxonia Electorali praerogatiua gaudent, vt iudicis officio manuque militari id, quamprimum operae ab illis praestitae sunt, consequantur. (u) Comparent in concursibus creditorum in priuilegiariorum creditorum classe, si eorum opera laboreque res seruata sit; (x) alias chirographariis creditoribus accensentur. (y) Competit ipsis ius retinendi acta priuata, (z) si clientem morosum nacti sunt, qui moras nectat in soluendo honorario. Immunes sunt ab excubiis et fordidis muneribus. (a) Nec, vt in aedes militem recipiant, cogi possunt. (b)

§. XI.

Conclusio.

Sed, inquires, quae inuidia, quae infelicitas tam praeclaris uiris eripuit, quasque extorsit tam pulchra fructuosaque priui-

- (t) l. 1. §. 10. et 12. de extraord. cognit. l. 12. §. 9. C. de indic. Georg. Beyeri Positiones ad ff. p. 118.
- (u) Ita clare disponit ordinatio Processus Recognita Tit. VII. §. 4. Da hingegen denen Advocaten ic. zur Bezahlung ihrer Gebühren, auch so gleich vor Ausgang der Sache von Termin zu Termin, vermittels der Execution verholffen werden soll.
- (x) Nicolai in Resolutionibus pract. Ref. XIII. §. 24. 149. p. 378. consentit ordinat. Proc. Rec. T. XLII. §. 1.
- (y) Nicol. c. 1.
- (z) Carpz. P. II. C. XXV. def. 33. Publica Acta uero Aduocatis retinere non licet, quia semper reipublicae interfit ea exhiberi.
- (a) l. 3. l. 6. C. de Adu. diu. iud. confer et Nicolaum c. 1.
- (b) Klockius de contrib. c. 17. n. 207. Quando enim militem recipere cogentur, facile documenta et acta, quae eorum custodiae tradita sunt, et quae magnam reipublicae utilitatem continent, militum nouitatis studio periri possent. Si tamen plures aedes habeant, hoc priuilegium ad illas aedes, quas in-

privilegia? Respondeat pro me GVNDLINGIVS (c) *De privilegiis causidicorum tenendum est, multa rebus nostris accom-
modari a Systematicis. Sed quum tamen omnia privilegia
pro re nata imminui soleant, hinc malitia quorundam et
multitudo eorumdem in causa fuit, quare parum inde emolu-
menti sentiant.* Quapropter optandum est magnope-
re, vt ii, qui pestiferis artibus, concussionibus, et turpi
ignorantia ingentes miseris innocentibusque mortalibus cla-
des attulerunt, et aeternam famae suae inusserunt turpitudi-
nem, tandem aliquando prauas artes suas deserant, cum bo-
nis cordatisque uiris in gratiam redeant, et ad incompara-
bilia sanctissimorum iuris Antistitum, IACOBI BOVRI-
CII, (d) DAVIDIS THOENNICKEI (e) et CHRISTFRIDI
WAECHT-

habitant, ex merito restringitur. Confer et Stryck. cit. Dissert.
C. III. §. 32.

(c) in *meotris* p. m. 272.

(d) Saepe taxat reprehenditque rabularum perniciosissimum genus
in primis C. III. et IV. de officio Aduocati p. 5. sqq. in primis
aurea sunt eius uerba in Dedicat huius egregii operis. Digni
sunt improbi Aduocati, qui traducantur ac perstringantur, et
non foro tantum, sed hominum quoque societate pellantur,
et ad Scythas, aut Sauromatas, et si quae sunt aliae magis bar-
barae nationes relegentur, nunquam redituri.

(e) Hic enim referente Amplissimo Helmstadiensium Antecessore
Francisco Carolo Conrado in praef. ad. Aduocatum pruden-
titem in foro ciuili de se gloriatur: se rabularum technas, ac
dolos infames, quibus vulgo improbi causidici vtuntur, cane-
peius et angue semper odisse, eiusque rei testimonium sibi ab
omnibus, in quibus egerit, iudiciis certissime polliceri: nun-
quam se moras, quibus protraherentur lites nexuisse, serioque
omnem mouisse lapidem, quo ius suum quilibet obtineret;
nunquam lucri causa suscepisse lites, nec emungere clientes
aere studuisse, quin potius multis amore iustitiae, quae causam
eorum commendaret, grauis adfuisse.

24 DE SPVRIIS ADVOCAT. PRIVILEGIIS.

WAECHTLERI (f) exempla sese transformant atque compo-
nant. Tunc enim, si ad hunc vsque diem mihi uitam pro-
rogauerit Deus, primus ero, qui reuocabo aspere duriterque
dicta contra eos, qui comiter uenerabor illos, qui denique
obnixae, et, vt in prouerbio aiunt, manibus pedibusque la-
borabo, vt pristina emolumenta postliminio quasi recuperent.
Hi uero in quorum animo altius insedit, atque inueterauit
tetrum malitiae uenenum, quam vt penitus exstingui atque
eradicari queat, audiant dictaque sibi putent SVMMERMANNI, (g)
quibus eos condecorat, elogia: *Aduocati, qui protrahunt
certa fata causarum, suaeque nequitiae uiribus in rebus saepe
publicis ac priuatis bene ordinata et reparata destruunt,
fatigata prorsus peruertunt, non minus nocent humano ge-
neri, quam si furtis atque uulneribus patriam parentesque
deuastarent. Nec enim solos contra imperium nostrum mili-
tare credimus illos, qui gladiis, clypeis et thoracibus nitun-
tur, sed etiam Aduocatos. Militant namque causarum pa-
troni, qui maleuolae uocis confisi munimine spem, uitam et
posteror destruant.*

(f) Parentauimus piis integerrimi ac doctissimi ICTI manibus no-
stro qualicumque elogio in Actis Erud. Mens. Febr. huius anni
p. 92. sqq.

(g) in *πρωτος* p. 580.



Leipzig, Diss., 1733
(1)

W18

ULB Halle
004 757 866 3







1733, 52

DE
ADVOCATORVM
RIVILEGIIS
 EX SVFFRAGIO
 IS ICTORVM ORDINIS
 DISPVTABVNT
B AVGVST. IENICHEN
 L. ET IVRIVM DOCTOR
 ET
VS GOTTLIEB GABRIEL
 LEVCOPETRENSIS.
 ETVS EST DIES XX. MART. A. R. S. MDCCXXXIII.
 LIP S I A E
 CINA LANGENHEMIANA.

